

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum**

**Fecht, Johann**

**Francofurti et Spirae, 1684**

**VD17 VD17 3:315948Z**

XLIX.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

ad te festinanter scribere constitui, teque oro, ut re deliberata, primo quoque tempore mihi respondeas. Bene vale. Datae Argent. 8. Novembris anno 1563.

Johannes Marbachius, D.

Tuus ex animo frater.

Inscriptio :

Clarissimo Viro, pietate, prudentia & virtute excellenti, Domino  
M. Johanni Streitbergero, Ecclesiarum & Scholæ, in Curia  
Regnitiana Variscorum, ad ripam Sala Fluminis, Inspectori  
vigilantissimo, amico & fratri suo colendo.

Zum Hoff in Voitsland.

XLIX.

S. D. Reverende Domine Doctör, Frater

& Amice Carissime.

Cur enim te non his nominibus appellem, cum iisdem me jam antea sumæ cum humanitatis & benevolentiae incredibilis significatione, & ignotum, & immeritum appellaveris? Quapropter si quod sanctius, & Augustius vocabulum reperire liceret, quod etiam paternam *σοφίαν* non dico æquiperaret, sed multis suavissimarum affectionum *συμπάθειαν* longissimè vel etiam in infinitum excederet, eo me ingens illa, & mirabilis erga me amoris tui magnitudo cogeret uti. Nam agnovi ex hac Epistola tua omnem illam latentem animi tui vim, omnesque recessus, imo penetralia sensuum tuorum: ita enim te aperuisti, ut natura, ingenium, moresque tui non aliter mihi pateant, ac si inspiciendas præbuisset cogitationum tuarum intimarum rationes. Certè ita me nunc te ipsum cognoscere puto ex hoc scripto, ac si misso *πρῶτον* filiolo tuo, qui te facie & ore lineamentorum similitudine referret, imaginem tuam vis coloribus expressam mihi videndam exhibuisses. Sed hæc omnia ad DEUM Autorem refero, qui mirandis modis regit Ecclesiam suam, & actiones piorum: Hunc sedulo & quod die invoco, ut mihi donet fidos amicos, patronos & Mæcenates, quibus res meæ curæ essent. Verum non modo pios & amplissimos patronos atque Mæcenates donat, sed etiam Amicos & Fratres, qui me paterna vel etiam materna benevolentia prosequuntur. Non utar hic illa Hyperbole vel *ὑπερβολή*: Inspiciat aliquis literas tuas, & dicet, me studium illud tuum, erga me & meos, lætissimosque affectus, quibus me prosequeris, tenerrimamque benevolentiam, quam in me uberrimam effundis.

dis.

dis, nullis verborum figuris assequi posse. Hoc idèd nunc commemorò, ut gratitudinem meam erga DEUM MEUM aliquo modo declarem, qui non sinit preces nostras irritas esse, sed ita exaudit, ut promissionibus ipsius cumulativè satisfiat, & fides nixa ipsius bonitate suavissimè requiescat in re impetrata, seu oblata in præsencia, spes autem indubitata mitigationem in ærumnis, & lætissimos successus, atque exitus, ac finalem tandem seu ultimam & consummatam liberationem expectet. Dico igitur cum sancto Viro: Minor sum, Domine, omnibus miserationibus tuis: Et cum Apostolo: oro te, velis & perficias, ut multa per me tibi grata fiant in omnem æternitatem. Fac me *αὐτῶν ἰδίου & ὁμοίων* salutare in Ecclesia tua, utile mihi ipsi & aliis, utile animæ meæ, & animabus aliorum. Præparasti laudem tuam ex ore infantium & lactentium. Ac sufficit nobis gratia tua, qui in infirmitate nostra virtutem tuam perficis. Agnosco divinam voluntatem in hoc negotio, mi charissime Marbachi: Agnosco præclaram & eximiam benevolentiam tuam, & inclytæ ac laudabilissimæ Reipublicæ Argentoratensis erga me. Atque utinam opinioni vestræ & excusationi de me conceptæ vel in minimo satisfacere possem. Quis non cuperet Ecclesiæ Dei servire in loco tam illustri, eminenti præ aliis in tota Germania, imò in toto Imperio Romano? Sed ego imbecillitatem meam ingenuè profiteor ac vereor, ne hoc onus mihi imponas, sub cuius pondere & gravitate succumbens concidam. Semper equidem amavi Militiam Scholasticam, & ubicunque ad hunc usque diem amplius viginti annis Ecclesias docui, mei officii esse judicavi, habere etiam rationem studiorum Juventutis: Ac si non alium fructum inde sum consecutus, certè has operas omnium ærumnarum, quæ hoc nostrum vitæ genus comitantur, præstantissimum remedium & efficacissimam mitigationem mihi fuisse, omnino intelligo. Cum igitur ab eo usque tempore, quo idoneus visus sum, ut ad hæc progymnasmata docendi adhiberer, continuò in hac palestra sudans decertarim: non est animus ab hoc instituto discedere. Decevi enim, quicquid adhuc vitæ post quadraginta sex annos actæ reliquum est, DEO juvante, non aliter exigere, aut impendere, quàm ut Ecclesiæ pro viribus serviam, docendo Evangelium, & juventutem ad veram ac utilem Religionis, & bonarum Artium, si non tractationem, saltem perceptionem, ut fidelis *καταγωγὴς*, quantum in me est, traducam & adsuaficiam. Ubicunque igitur me DEUS esse voluerit, has operas pro mediocritate mea faciam. Gratiam autem tibi habeo, Clarissime & Doctissime Domine Marbachi, præterea gravissimo & Amplissimo Senatui Scholarcharum, & sanctissimo collegio Ministerii Evangelici in laudatissima vestra Ecclesia, quod me *αὐτοεπιπέμψαντες* & socium laborum vestrorum expetitis, accersentes me ad docendi munus in Ecclesia Christi, quæ apud vos est, & in Gymnasio urbis vestræ celeberrimo,

honestissimum mihi locum inter vos tribuentes, quod equidem velim vero magis iudicio, quam affectu & amore erga me vestro fieri. Atque utinam mihi, ut video vos desiderio mei teneri, ita vobis voluntatem meam statim declarare liceret. Cum autem negotium sit longè gravissimum, quod & DEI gloriam, & Ecclesiae salutem, item veritatis Evangelicæ propagationem, quod opus omnium in terris summum & difficilimum est, ut nostis, attingat, peto à vobis sapientissimis & doctissimis viris, dieculam mihi addatis, breve deliberandi spacium concedentes. Hanc considerationis moram tamen non ideo interpono, quod dubitem hanc amplissimam functionem mihi tanta cum benevolentia & humanitate, tamque laudabili iudicio vestro ad me orandum oblatam obvius ulnis acceptare: Divinitus enim hoc negotium geri & administrari certum est: & de hac cœlesti gubernatione ambigere omnino impium esse, statuo: Sed ideo deliberationi tempus aliquod tribuendum puto, quod nolim aliquid temerè vel paulo minus consideratè in tam arduo & gravi negotio fecisse videri. Cupio enim, si DEUS ita voluerit, cum bona venia meorum, & sine ulla conscientiae nota vel labe hinc discedens ad vos me conferre. Quocirca ad Illustrissimum Principem, & Dominum, Dominum Georgium Fridericum, Marchionem Brandenburgensem, cuius non obscura Clementiae cujusdam singularis indicia haecenus erga me conspècta sunt, hoc totum negotium deferam. Oro igitur, ut unius atque alterius mensis dilatio vobis non sit molesta. Quamprimum enim Principis sententiam accipero, vobis per tabellarium à me conductum omnia significabo. Cum enim & principi, & Ecclesiae huic in patria mea, & Ministerii Evangelici ratione, & multis alijs nominibus sim devinctus, æquum est, sine ipsorum consilio hic nihil statuere. Invoco autem Æternum patrem Domini nostri JESU Christi unà cum Filio & Spiritu Sancto, ut nos omnes gubernet suâ sapientia, & dirigat hoc negotium ad nominis sui celebrationem, ut sit salutare Ecclesiae, & nobis omnibus. Tibi verò, Marbachi, in omnem æternitatem mihi reverenter colende, vicissim deferò omnia mea quali acunque officia, & oro, ut sicut cecepisti, me pergas amare, fovere, provehere & ornare. Me certè ita tibi devinxisti, & obligasti hac animi tui propensione, ut me omnia mea: Fuae virtuti & beneficentiae debere libenter profitear. Meretur enim hoc humanitas tua: Meretur insignis & nunquam satis laudanda beneficentia tua, ut hanc tibi laudem tribuam. Nam de Domino Kötterizio, viro & nobilitate generis, & virtutis atque doctrinae, imprimis autem pietatis insignibus ornamentis præstantissimo, nunc multa commemorare non consentaneum fortè fuerit: Hoc tantum addo, me, si parens meus esset, plura ab illo officia expectare non potuisse. Oro autem, ut digna pro meritis in me collatis præmia divinitus consequatur. Sed quæso ignoscas prolixitati. Verbosorem me fecit admiratio

A. 1563.

PARS TERTIA.

163

rectissimæ & optimæ voluntatis vestræ erga me. Incensus enim mirifica cupiditate coram vobiscum colloquendi, quasi cum præsentibus agerem, Epistolæ limites jamdudum transcendendi: quod quanquam ineprum sit, apud tantos præsertim viros, tamen, qua sunt prudentia & humanitate, apud eosdem faciliorem veniæ viam me inventurum esse, prorsus mihi persuadeo. Ad postremum sapientissimo concilio scholarum & toti collegio Ministrorum Ecclesiæ, totique Reipub. vestræ vera animi subjectione reverenter me submitto: Quibus ut me porrò commendes, mi Cariss. Marbachi, vehementer oro, tibi ipsi in primis me totum tradens atque commendans. Totum enim me dexteræ tuæ virtuti in fide præstanti credo, & committo. Æternum pater Domini nostri JESU Christi te cum tota Ecclesia & Reipub. quam diutiss. incolumem & superstitem conservet: Amen. Hanc meam sententiam Amplissimis & laudatissimis viris, Dominis Scholarchis, per occasionem significabis, meque excusabis, quod ad ipsos non scripserim. Id quod hoc tempore minimè necessarium fuit. Has pagellas, quæ his diebus ex nostra officina Typographica exierunt, ad te mitto: tametsi indignas quæ tibi mitterentur: Quia verò intelligo, pro tuo erga me amore, omnia tibi placere, & grata esse, quæ à me profecta sunt, hac tua facilitate & affectione in nos, quodammodo abutor. Quod ut boni consulas ex animo precor. Bene in Christo vale. Subito. Ignoscas igitur celeritati & extemporalitati. Data ex curia nostrâ Regniciana in Variscis &c. Iphis Calendis Decembrib. Anno 1563.

*Tui Studiosissimus teque ut fratrem reverenter colens  
ac diligens.*

Streitbergerus.

L.

**S** In Domino. Te, Clarissime D. D. amice & frater multis nominibus observande & honorande, salvum & incolumem ex Suevica profectioe domum pervenisse, cum gaudio ex literis Domini Flinneri intellexi. Gratum etiam, imo jucundum fuit, ex eodem cognoscere, quod ea humanitatis officia, quæ Magistratus noster, publico, & nonnulli ex veteribus amicis tuis, privato nomine, tibi exhibuerunt, cum primis verò mediocri Reipublicæ Scholæ & Ecclesiæ nostræ status, singulari quodam favore, & candore animi abs te fuerunt approbata & collaudata. Ego certè serio affirmare possum, præsentiam tuam & Magistratui & omnibus nostris fuisse gratissimam.

X 2

Cæte-